e-codices

matio illius super deducente eas. Deus in loco sancto suo. Locus dei caelum est. caelum vero est sancti in quibus habitare dignatur. et licet orpham-
et vidue. id est spei secularis solatio destituti. quorum pater et iudex est. et de quibus sibi acceptabile templum fabricat. Aliter. Deus in loco
sancto suo. hoc est in commutabili essentia providentie et dispositionis sue. Ipse enim incommutabiliter manens mutat tempora. nec mutat
consilia. Deus inhabitare facit unius moris in domo. Hoc est qui in ecclesia multitudinem fidelium sub una caritate consociat. sic
legitur in actibus apostolorum. quia multitudinis credentium erat cor unum et anima una. Unius autem moris. unius fidei unius volunta-
tis dicit. quales volebat esse apostolus quibus dicebat. idipsum invicem sentientes. Qui educit vinctos in fortitudine. Vinctos homines
dicit. vinculis peccatorum astrictos. quos eduxit ipse dominus de tenebris et erroris in fortitudine. Quia antea debiles et infirmi erant
fecit eos sua gratia fortes et liberos. Veniens enim in mundum. alligavit fortem et vasa eius diripuit. hoc est homines liberavit. Similiter
eos qui exasperant. qui habitant in sepulchris. Similiter. Subaudiendum eduxit et liberavit eos. qui exasperabant. hoc est resistebant iustitie &
veritati et provocantes dominum blasphemiis et idolorum cultibus. Ipsi quoque habitabant in sepulchris. mortuis operibus servientes.
Corpora enim peccatorum sepulchra sunt animarum ipsorum. Hos ergo similiter eduxit in fortitudine. quia de liberatis a morte vite gau-
dia restituit. Deus cum egredereris in conspectu populi tui. et cetera psalmi usque dum. Terra mota est. Recordatur veteris historie. et illius temporis.
quando deus egressus est coram populo suo. Precedens eos in columna nubis per diem. et in columna ignis per noctem. Terra mota est. quia populi diver-
sarum gentium audientes miracula que deus in illo et per illo faciebat. maximo timore movebantur. Celi distillaverunt. quando in
mundum stillicidium manna pluerunt. A facie dei synai. qui in syna monte suam igne ostendebat presentiam. Legitur enim
in exodo. Totus autem mons sinai fumabat. eo quod descendisset dominus super eum. Mistice egressus est deus. quando per carnem
apparuit eis. qui eum deum in homine cognoverunt. Et transiit in desertum. quia derelicta iudea. transiit ad populum gentium.
Terra mota est. Hoc est corda terrenorum hominum miraculis excitata sunt. Celi distillaverunt. hoc est sancti apostoli. predicationis stillas.
humanis mentibus infuderunt. Et bene non imbres sed stille divina predicatio est appellata. quia distincte. et velut guttatim
modificanda est per capacitatem audientium. Stillaverunt ergo celi. non a se ipsis. sed a facie dei sinai. illius videlicet domino. qui est
auctor veteris testamenti. Syna enim mons qui interpretatur rubus. legem designat. Sequitur. A facie dei israhel. Hoc est populi gen-
tium sub evangelii fide deum videntium. ut intelligatur unus idemque deus veteris et novi testamenti. Pluviam voluntariam segrega-
bis deus hereditati tue. Iuxta litteram pluviam voluntariam manna dicit. que volenti et desideranti populo data est. Hanc plu-
viam segregavit deus hereditati sue quia nullis gentibus. tam inexpertum miraculum ostendit. sed solis iudeis. qui hereditas domini appel-
lantur. Altiore sensu. pluvia voluntaria. mandata sunt divina. que per legem iudeis segregata. Hoc est specialiter data sunt.
Sed infirmata est ipsa pluvia. quia corrupta sunt precepta legis transgressionibus. et falsis tradicionibus illorum. Tu vero ingr perfecisti eam.
Hoc est gratiam evangelii in fide nationum implesti. et eam id est hereditatem infirmatam perfecisti in locum reprobate sinagoge. gentium
populum substituendo. Animalia tua habitabunt in ea. Animalia dei fideles dicit ex gentibus. qui prius alieni a deo per idolatriam.
facti sunt eius per fidem. et habitabant in hereditate dei. hoc est in ecclesia et in loco grę. quam iudei infideles amiserunt. Parasti in
dulcedine tua pauperi deus. Parasti. hoc est preparasti. et predestinasti illam hereditatem pauperi. id est sancte plebi tue. quam preordinas-
ti ante secula. Et hoc in dulcedine tua. non in seculi que plena est amaritudinibus. sed in tua que plena est suavitatis et gaudii. Dominus
dabit verbum evangelizantibus virtute multa. Ordo est dominus dabit virtute multa. evangelizantibus verbum. Christus enim dei filius
deus et dominus. dedit apostolis suis verbum suum evangelizantibus. id est annuntiantibus virtute multa faciendorum signorum et miraculorum.
quo et verbo credentes instruerent. et per miracula duri corde ad fidem compellerent. Rex virtutum dilecti dilecti. Rex
virtutum. deus pater sanctus sanctorum rex. et dominus angelicarum virtutum et potestatum. Hoc et de filio dicitur. sicut alibi idem psalmista dicit.
dominus virtutum ipse est rex glorie. Dilecti. subaudis filii pater. de quo ait. hic est filius meus dilectus. Tamquam enim interrogares. qui est ille dominus.
qui dabit virtute multa evangelizantibus verbum. rex ait virtutum. dilecti filii sui pater. Repeticio autem ipsa dilecti. intimam
exprimit devotionem. qua delectabiliter afficiebatur. cum filium dilectum nominabat. Et speciei domus dividere spolia.
Pulchritudo namque ecclesie que est domus dei. est dividere spolia. id est animas diabolica fraude captivas. de eius potestate
liberare. Spolia enim diaboli sunt homines. quos dominus alligato forte liberavit. et ad suam ecclesiam transtulit. easque divisit.
hoc est distribuit. alios faciens apostolos. alios evangelistas. quosdam pastores et doctores. de quibus exultat & gloriatur ecclesia. Si
dormiatis inter medios cleros. Alloquitur spiritus sanctus apostolos et reliquos electos. quos supra spolia vocaverat. quasque speciem
domus dei esse dixerat. Quos sancti. qui dividimini ad speciem et pulcritudinem domus dei. si dormiatis hoc est si requiescatis

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. p.%20140 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/en/csg/0312/p.%20140)